

in manibus dicti domini comitis, recipientis nomine serenissimi domini nostri domini Ludovici Romanorum regis et sacri imperii, nomine dicti domini . . potestatis et comunis et hominum dicte civitatis Novarie et consilii et consiliariorum, quorum syndicus et procurator est, debitum fidelitatis sacramentum prestitit et fecit in animabus et super animas dictorum . . potestatis, . . consilii et . . consiliariorum dicte civitatis Novarie et iuravit ad sancta Dei evangelia, corporaliter tactis scripturis, in manibus dicti domini . . comitis, suprascripto nomine recipientis, quod ipsi et quilibet eorum erunt fideles amatores sacri imperii et prefati domini nostri domini Ludovici Romanorum regis semper augusti et dicti domini . . vicarii, et eidem domino Bertoldo comiti ut supra tamquam . . vicario dicti domini regis et spetiali nuntio eiusdem obediens erunt in omnibus tamquam vero et spetiali domino sibi que respondebunt de iuribus et servitiis imperio debitis et conspectis. Promitens dictus syndicus nomine dicti comunis et singularium personarum dicte civitatis Novarie, quod sacri imperii prefati domini nostri Romanorum regis et sacri imperii et dicti domini . . vicarii honoris et iuris in quacumque parte et contra quascumque personas erunt amatores et ferventissimi defensores toto posse et si quid honori aut iuri sacri imperii et dicti domini regis aut eius . . vicarii senserint derogativum aut quod honoris persone et iuris cederet ad periculum aut alicuius membri regie mayestatis lesionem, id statim ipsi per ipsos vel alios curabunt^a fideliter et celeriter revelare et quod alicui rebellii nec inimico sacri imperii nec dicti domini regis aut . . vicarii eius nullum prestabunt auxilium vel favorem, et cetera facient, que ad decus et reverentiam sacri imperii et dicti domini nostri perveniant. Promitens sub obligatione omnium bonorum comunis et hominum dicte civitatis Novarie, predicta omnia et singula attendere et observare et perpetuo contra non venire dicto, facto, consilio, auxilio vel opere. Et de predictis rogavit me notarium, ut inde conficerem publicum instrumentum, et plura instrumenta uno tenore fieri rogata sunt.

Actum ut supra presentibus suprascriptis testibus.

(S. N.) Ego^b Rubertinus Burrus filius domini Vercelli civitatis Mediolani porte Romane publicus auctoritate imperiali et dicti domini . . vicarii notarius, camere palatii

a) 'curabit' Or.

b) Dieser Absatz von anderer Hand.